

Manichaei Bellarmino videamur, eo quod illi Patres V. T. soliti fuerint multorum peccatorum accusare, invenire non possumus. Longe enim alio ex capite Lutherus *nauos ac lapsus Patrum Sanctorum* animadvertisit, & notavit, quos sane Pontificii negare non sustinebunt, ut demonstraret etiam illos habuisse opus, ut crederent in mediatorem & propitiatorem generis humani venturum. Quid vero hoc ad Manichaeos? Abrahamum coeterum ante conversionem fuisse idololatram, certo certius est, ita ut frustra idcirco in Lutherum invehatur convitiatorum antesignanus.

## §. XIV.

Non cessant illi, qui nobis male cupiunt, verum, quod praecipue mireris, PELAGIANISMUM quoque in hac doctrina nobis tribuunt. Postquam hujus haereseos historia & doctrina a VOSSIO, NORISIO, HULSEMANNO aliisque exposita est, mirari quis non praeter rem posset, reperiri non solum alias deviantes a puritate doctrinae, qui nobis hanc sectam imputant: verum etiam Pontificios id ante omnia moliri. Verum jam supra observatum est, non raro evenire, ut qui alicujus haereseos convicti sunt, eam nihilominus imputare audeant & adscribere innocentibus. Nec causas nullas se habere arbitrantur, cur nos eo coniatio excipient. Audiamus Bellarminum. *Pelagiani duo inter alia docebant: Primo non esse in hominibus peccatum originale & praecipue infantes fidelium: Secundo, per quodlibet peccatum, quamvis levissimum, perdi justitiam ac proinde omne peccatum esse mortale.* Primum docet Zwinglius. Errorem alterum docent omnes sectarii: Lutherus assert. Art. 32. O nos felices, qui nihil praeterea, teste Bellarmino, cum Pelagianorum erroribus habemus commune. Hoc vero quod nobis imputatur, neque crimen est, neque cum Pela-